



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Speculum Approbandorum Bipartitum**

**Unczovsky, Marianus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1693**

Sermo Authoris ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37308**



## Sermo Authoris ad Lectorem.

Uàm utilis, & quàm necessaria sit in mundo ars curandi & corporis & animam, absque dubio experientiâ docente scis benevole Lector, nec te latere potest, si utriusque in homine partis graves & periculosaæ ægritudines, quæ indies accidunt spectes; hac de causa Increata Sapientia, attingens à fine usque ad finem fortiter, suaviterque disponens omnia, unicuique hominum juxta qualitatem naturæ, & exigentiam providere dignata fuit de Medico & medicina corporali ac sp̄irituali, ad

CLI-



¶ (+) ¶

curam & conservationem corporis  
& animæ; & quidem pro cura & sa-  
lute animæ instituit Sacramēta, qui-  
bus virtutem sonandi dederunt: Pas-  
sio, Sanguis pretiosus Domini No-  
stri JESU Christi, ejusque merita va-  
loris infiniti, deputando pro Medi-  
cis spiritualibus Sacerdotes. Utrius-  
que Medici necessitatem expressam  
habes in Sac. Scriptura, cum diver-  
so operandi modo, medicinarum-  
que diversitate, propter infirmitates  
diversas: siquidem ægritudines cor-  
porales accidunt contrà, spirituales  
verò juxtà velle, ac placitum homi-  
nis ut potè procedétes ex electione,  
atque liberi arbitrij consensu. Ulte-  
riorem differentiam inter infirmita-  
tem corporis & animæ, absque os-  
tensione mea advertes, quando utri-  
usque ægri statum attentè perpen-  
des:

: (s.)

des: videbis enim corporali infirmi-  
tati subjectum, ex ardenti affectu re-  
cuperādæ sanitatis præsentiam Me-  
dici magis, quām amici instanti  
postulare, impatienter expectare,  
eius mandatis non solum in sumptu-  
one suavis, verū & amaræ medi-  
cinæ punctualissimè obtemperare,  
pellem & carnem ferro scindendam  
fortiter exponere, ac demum inten-  
sos dolores non parvo pretiō solve-  
re. E contrà sēpè infirmum spiritu-  
aliter, ac vulneratum in anima, cu-  
jus infirmitati causam præbuit inqua-  
voluntas, miraberis inter tot actan-  
tanta vulnera hilarem, media con-  
grua quærere negligentem, imò &  
contemnentem, ac veluti phrene-  
ticum oblatam à Medico spirituali  
medicinam respuentem, provoca-  
tâ hoc modo ad iram Majestate Di-

vinâ. Id sanè observârunt, & hu-  
cusque observant operarij in vinea  
Domini circâ multos, quibus nihil  
adè difficile, quàm ambulare in via  
mandatorum DEI, & facere bene,  
nihil tam facile ac delectabile, quàm  
sedere in tenebris peccatorum: hinc  
sæpè numero accidit, ut piorū Con-  
fessorum corda saturata verbis a-  
cerbis, furiosisque responsis, rece-  
dant à Pœnitente inobediente cum  
tristitia, quorum tamen prudentia  
facit, ut persistant in modo operan-  
di conducente ad salutem per pia  
monita, & actus charitatis, patien-  
torea, quæ non raro ægro suggerit  
imprudentia, & quæ ex maculato,  
atque à DEO averso procedunt cor-  
de, supportando, atque pro illorum  
conversione Divinam Clementiam  
implorando, Ex his facile deduci

: (6)

po-



¶ (†) ¶

poteſt gravitas , quam importat offi-  
cium Medici Spiritualis , & adverti ,  
quarum virtutum odorem spargere  
debeat is apud quem est unguentum  
CHRISTI , & cui excitatos ad pœ-  
nitentiam per Disseminatores verbi  
Divini competit recipere , atque in  
foro Pœnitentiali judicare ; ſanè tan-  
ti officij , tantæque potestatis exer-  
citium magnam postulat Scientiam ,  
ſingularem requirit prudētiam , quo  
non considerato , multi , etſi parūm  
litterati , nihilominus ſtatiſ , ac Cha-  
ractere Sacerdotali ſunt Inſigniti , to-  
to conatu quærunt , atque anhelant  
eſſe Judices , & Conſcientiarum Di-  
rectores , non perpendentes , quan-  
ti ſit ponderis cura animarum : tali-  
um debilitati cupiēs occurrere , jux-  
ta promiſſum in Opuſculo pro ordi-  
nandis , nuper in lucem dato , ac  
DI-



... (†) ...

DISCIPULUS ORDINANDUS,  
intitulato, clarè , ac succinctè , per  
centum Quæstiones propono mate-  
riam necessariam ad Ministros Sacra-  
menti Pœnitentiæ , curamque ani-  
marum habentes spectantem ; non  
unius duntaxat Authoris sententi-  
am amplector, verùm ad instar apis  
in diversis hortis ex diversis floribus  
mel colligo , ejusque dulcedinem si-  
nè invidia communico. Lege bene-  
vole Lector scripta ad majorem DEI  
gloriam , singulaque pro salute pro-  
ximi applica.

Ait-



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN